

Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I

A N
**O B P R O M I S S A M E T N O N
S O L V T A M D O T E M M A R I T V S
C O N I V G E M E X P E L L E R E P O S S I T**


Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E XXVI. AVGVST. ANNO C I C I O C C L X X V .

D E F E N D E T
IOHANNES ERNESTVS THRYLLITZSCH
KOHRANO-MISNIC.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .





AN
OB PROMISSAM ET NON
SOLVTAM DOTEM MARITVS
CONIVGEM EXPELLERE
POSSIT.

Quamquam Romana Republica nunquam matrimonia tam firma tamque indissolubilia habuerit, ut nullam coniugum admiserint separationem inter se; tamen antiquioribus temporibus solutio matrimonii ea tantum iusta videbatur, quae ex iusta causa fiebat. Quae vero eae iustae fuerint causae, quas DECEMVIRI *Legibus XII. Tabularum Tab. VI. cap. 4.* statuerant, haud liquido constat. Probabile est inter eas causas sterilitatem matrimonii quoque exitisse, quod patet ex historia primi suscepiti diuortii apud VALERIUM MAXIMVM *Memorab. Lib. II. cap. 1.* et GELLIVM in *Noct. Attic. L. IV. cap. 3.* quippe coniugem dimittebat maritus, quo

A 2

aliam



aliam prolis quaerendae causa ducere posset, cum a priori sobolem haud suscepisset. Neque solae iustae causae sufficere antiquitus visae, imo potius ad modum, quo matrimonium contractum, respiciendum; nam ex iusta causa confarreatum, per diffarreationem soluebatur connubium, contra coemtione contractum, remancipatione. At a quo tempore per conuentionem in manum mariti connubia riora nelerentur inter Romanos, frequentiora facta fuere diuertia, neque solliciti amplius de iustitia cause, magis coniugum arbitrio reliquerunt repudiandi licentiam adeo iuuta altera coniuge, donec constitutionibus Imperatorum THEODOSII et VALENTINIANI et postea ipsius IVSTINIANI certae cause definitae, propter quas repudia iuuta altera parte permisfa, vbi bona contra gratia vtriusque videlicet consenuit adeo in republica Romana Christiana, iuicem coniugibus matrimonium tollere licuit, vt patet ex NOVELL. CXV. cap. I.

§. II.

Iam constat, Romanis dotem visam fuisse ad legitimum matrimonium necessariam, quod iam satis ab aliis probatum. Hinc dos quasi differentiam inter connubium et concubinatum constituebat, quam et adhuc sententiam seculum Iustiniani aluiisse appetet ex L. 10. C. de nat. liberis. Distinguit enim Imperator liberos ante dotem et post dotem natos: *hi* legitimi, *illi* illegitimi naturales erant. Hinc dotalia instrumenta confecta, quibus dos promittebatur, nuptiales ritus exiterunt. Iam quaerebatur: an dos non soluta, si promissa, iusta sit expellendi coniugem causa. Fauet opinio*n*, quae permittit pellere coniugem marito, praecipue *L. ult. C. ad SCtum Vellei*. Constituit IVSTINIANVS. Generaliter sancimus: *vt si quis maior viginti quinque annis, suo masculus, suo semina DOTE M^{AR}ITIUM POLLOCI TVS sit, vel spoponderit pro qualibet muliere,*

liere, cum qua matrimonium licitum est, omnimodo compellatur suam confessionem adimplere, neque enim ferendum, quasi casu fortuito interueniente mulierem fieri indotatum, et sic a viro forsitan REPELLI et distrahi matrimonium. Cum enim scimus, fauore dotum et antiquos iuris conditores severitatem legis saepius mollire: merito et nos ad huiusmodi venimus sanctionem. Nam si spontanea voluntate ab initio liberalitatem suam ostendit: necessitate est, eum vel eam suis promissionibus satisfacere: ut, quod ab initio sponte scriptum aut in pollicitationem deductum est, hoc ab iniuitis postea compellatur: omni autoritate Velleiani Senatusconsulti in hac causa cessante.

§. III.

Concedam, forsitan ante tempora illa, quibus repudiis certae causae praescriptae et definitae sunt, repudium vxori dare licuisse marito, si dos promissa quidem, non vero soluta fuerat. Licentia enim nimia repudiandi, qua etiam sine causa permitta repudia, hanc comprobare videtur sententiam. At, a quo certae repudiis causae scriptae, nusquam deprehendimus, dotem non solutam inter has causas esse relatarum. Neque fuit huic opinioni ipsa antea allegata lex IVSTINIANI. Verba enim a viro postea repellendi, non dispositiva sunt, quod patet ex verbis: neque enim ferendum, quasi casu fortuito interueniente mulierem fieri indotam et sic a marito forsitan repellendi. Loquitur itaque constitutio magis de facto, quam quod ius constituat, ut liceat expellere ob non solutam dotem, potius improbat expulsionem illam in verbis: neque enim ferendum. Imo cum, iuris sit in negotio obligatorio ad adimplendam obligationem agere, ut id fiat approbant quoque verba: omni modo compellatur suam confessionem adimplere. Non ergo expellat vxorem maritus, sed vel experiatur condicione ex lege noua,



si pacto promissa, si contra stipulatione, ex stipulatu, ad consequendam dotem promissam vel stipulatam.

§. IV.

Iam videamus, quid nostro iure valeat. Recepimus enim ex peregrino iure dotes, easque exigimus promissas, imo et si promissae non sint, si patris officium concurrit, quod in dote constituenda positum, a patre non promissam a iudice definiendam perimus, excepta Saxonia, in qua prohibutum DECIS. nouiss. de A. 1746. XXIX. ne dos a patre petatur, nisi antea promissa. Inde et intantum quoque quaeri potest: *an marito liveat expellere coniugem ob dotem promissam, non solutam.* Primum videndum, quo animo expellere coniugem intendat: virum fiat eo animo, ut sit medium cogendi ad soluendam dotem, an fiat repudiandi animo. Neutro casu expulsionem licitam esse, arbitror. Cum enim nulla vindicta priuata licita sit, nisi lex eam promittat, sequitur expulsionem fieri non debere cogendi animo ad soluendam dotem. Habet enim maritus, cui dos promissa, iustum cogendi medium, quod in actione instituta quaerendum: Quo itaque modo sibi ipsi medium quaerat ex domo expulsa coniuge, siue ipsa promiserit, siue alias, maxime cum apud nos ad iustitiam connubii dos amplius pertinere haud videatur.

§. V.

An vero causa sit soluendi matrimonii ob non solutam, quae antea promissa fuerat, dotem: recte improbatur. Cum enim nostra iura plarie nullam, ne quidem illam, quae consentiente vtrique coniuge fiebat, connubii solutionem permittant, quam quae sit, vel ob adulterium, vel ob malitiam desertionem et nouiter ob vitae insidias, nunquam dos non soluta causam exhibere potest diuortii iustum. Cum enim ne quidem tanquam rectum et probabile ad solutionem praestandam cogendi medium addmitti

mitti posset, multo minus haberi potest iusta soluendi causa matrimonii, quippe non amplius de iure propter dotes nubere solent feminae. Agat ergo de dote soluenda contra promissorem.

§. VI.

At quid? si quis propter dotem masculus cum femina matrimonium contrahit, qui forsan ex dote suam sibi rem domesticam curare intenderat, nonne tunc liceat marito expellere coniugem, si dos non soluatur? Cum enim praecipue ad dotem respexit maritus, eamque sibi matrimonii causam posuit contrahendi, cum ea postea causa non sequatur, recte agere videtur maritus, si expellat coniugem, quae dotem promiserat, eam tamen haud soluerat. Sed nec tunc expellat; sibi enim maritus imputet, quod dotem fecerit sui matrimonii finem, quae in regula illius finis esse non solet, maxime si vxori dolus imputari non possit.

§. VII.

Quod si vero contingat, vt quis amplissimae dotis dolosa promissione inductus feminam in matrimonium duxerit, quam duclurus non fuisset, nisi praecesserit dolus. Si postea fraus manifestetur et appareat, plane nullam dotem praefarsi posse, sed promissam esse, non ea intentione, vt soluatur, sed vt masculus ad matrimonium contrahendum alliciatur: an tunc expelli poterit vxor illa dolosa, quo diuortium fiat. Concedo quidem, ob dolum, quam causam dederat matrimonio, illud non posse validum haberi, immo potius probate coram competente iudice dolo, pro nullo esse declarandum. Quoties enim dolus praecedit matrimonium, quod consensu contrahitur, ab initio nullum quidem est, et ideo posset expellere, cum coniux facta legitima non sit, sicque in maritum ius nullum obtinuerit; at quia ipsem est

2

ipsem̄ maritus in sua causa iudicem agere nequit, vt coniugem pro non coniuge declaret, nunquam vero pro non coniuge declarari poterit, nisi de dolo conuicta sit, et vbi expellere velit maritus coniugem, vindictam priuatam exerceret, quae legibus improbat; nec tunc recte expellat. Caeterum, quod nullum declarandum est matrimonium, causa non latet in non soluta dote, sed in dolo, qui omne facit negotium inualidum.

§. VIII.

Si autem contingat, vt de facto ob non solutam dotem vxorem maritus expellat, cum expellendi ius non habeat, recte quaeritur, an maritus cogi possit, vt eam recipiat et iusto medio actionis ad tradendam dotem vtatur. Et recte cogi poterit maritus, vt vxorem recipiat. Quod si autem prius recipere, quamvis iusta coactione exhibita, nolit, nisi soluta dote, grauioribus cogendi mediis ad recipiendum adstringendus videtur. Neque dubitandum est, quin a quo expulerat maritus coniugem, de restituendis et praestandis ipsi alimentis, donec recipiat, recte condemnetur.




(leipzig) Diss., 1775 A(1)



Sb

KD18

B.I.G.



1775,34.
Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I
A N
O B P R O M I S S A M E T N O N
S O L V T A M D O T E M M A R I T V S
C O N I V G E M E X P E L L E R E P O S S I T
Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E X X V I. A V G V S T. A N N O C I C I C C C L X X V.
D E F E N D E T
I O H A N N E S E R N E S T V S T H R Y L L I T Z S C H
K O H R A N O - M I S N I C.

